

Pari modo, qui in dignitate positi sunt, nuces juxta viam sunt, conspicuae quidem et procerae, sed praetereuntium obrectationibus et cavillis obnoxiae: ipsorum etiam demonum insidiis magis expositae; siquidem plerumque liberius et gravius delinquant. Quae causa est, cur Sanctus Chrysost. homil. XXXIV. in epistola ad Hebr. scripserit: *Miror si potest aliquis rectorum salvari.* Certe in judicio De. longe melior erit conditio subditorum (caeteris paribus) quam praepositorum. Ejusmodi arbor fuit Nabuchodonosor in superbiam elatus, Dan. IV. cui dictum est de caelo: *Succidite arborem, et praecidite ramos ejus, excutite folia et dispergite fructus ejus, etc.* Expulsus enim e regno, oberrabat in silvis instar bestiae et pascebatur herbis. Vere dixit Euripides: « Cum videri in sublime quempiam elatum splendidis gloriantem opibus ac genere supercilioque supra sortem suam fastuosum: illius celerem divinitus expecta vindictam: » et Herodotus, l. I. « Vides oximia animalia ut fulminet Deus, neque suis opinionibus uti sinat; exigua vero facile fert? »

VI. Spernit deformem, is qui eleganti forma est praeditus; robustus imbecilem. Sed habeo tibi aliquid dicere. Arborea duae in silva erant juxta se positae: quarum una proceras, recta, elegans: altera curva, humilis, aspera et nodosa. Huic illudere cepit illa et exprobrare deformitatem. Interim advenit architectus quaesiturus ligna caedua ad domum fabricandam: cui displicuit illa distorta, placuit proceras, hancque mox cecidit, illam vero intactam dimisit. Utrius tibi conditio melior censetur? Utique deformis. Ad eundem modum, quisquis es formosus, elegans et robustus, excisionis periculo vicinior es, quam deformes et imbecilles; siquidem a mundo magis adamaris, tibi ipsi nimium confidis et in superbiam erigeris. Hinc facile seduceris, et nimium tuis viribus confisus, securum mortis citius experiris. Quam saepe contingit, ut qui forma praesentant, cito et levi morbo ex hac vita abripiantur: alii contra defectuosi diutissime vivant? Et quid si alii speciem et elegantiam suam intus in animo gestent, tu foris solummodo in corpore? Non aestimatur vini bonitas a dolii nitore, sed a vini efficacia. Quam multis formae praestantia impulsae ad lapsum fuit; deformitas contra praesidium et munimen.

VII. Fortior et potentior impotentior; sed habeo tibi aliquid dicere. Duo gallinacei semel acriter inter se rixabantur. Finito praelio, victus aufugiens se abscondit; victor autem consensu muro et quassatis alis, quanto maxime potuit, canere triumphum cepit: qui auditus et visus ab aquila, raptus et exossatus est. Videns

id alter victus, prodiit gratulabundus et securus deinceps gregi suo dominabatur. Utrius tibi conditio deterior videtur? Nonne galli victoris? At quam multis hoc idem evenit? Despiciebat Davidem Goliath et jactabat se ejus carnes daturum bestiis et volucris: sed quod facere voluit, passus est, 1. Reg. XVII. Nicanor prius vendidit Judaeos in campo, quam vicisset, II. Macchab. VIII. postea ipse victus est et lingua ejus avibus data: Isaac monachus cum Valenti Ariano et impiissimo imp. ad praelium egredienti praediceret interitum, nisi Ecclesiis pacem redderet, ille: *Revertar, inquit, et te interficiam;* sed signis colatis superatus est, et saucius in casam rusticam delatus, ibique ab hostibus injecto igne vivus est crematus, Baron. anno 378. Memor hujus rei Carolus V. imper. cum Francisc. Valesius Franciae rex ab eo victus ad Ticinum, et captus scripsisset in pariete cubiculi sui: *Hodie mihi, cras tibi,* legens id Carolus subscripsit: *Homo sum, humani a me nihil alienum puto,* Peucerus, de divinat. Rith. in axiom. Cujus exemplo utinam omnes saperent, et memores fragilitatis humanae non insolerescent, adeoque a superbis et separatis Pharisaeis longe se separarent, etc!

## CONCIO VII.

## NON SPERNENDI PECCATORES.

I. Forte non est amplius peccator. — II. Forte cras non erit. — III. Culpa vocat in multis in quibus tu es. — IV. Graviora forte tentationes occasiones habet peccandi. — V. Forte melior resurget longe. — VI. Humiliat se.

## THEMA.

*Quae et qualis est haec mulier? Quia peccatrix est.* Lucae. VII.

Quod olim contigit Moysi cum virga, quam gerebat in manu sua, Exodi IV. hoc fere contigit Pharisaeo in hodierno evangelio cum peccatrice, quam viderat in domo sua. Jussus fuit Moyses projicere a se virgam, et versa est in colubrum, ita ut horreret Moyses et fugeret ab eo: at vero rursum jussus apprehendere caudam colubri, postquam apprehendit, vidit eum rursum versum esse in virgam. Mira res, auditores, virgam a se projectam et de procul aspectam deprehendit esse serpentem: eandem vero in manus acceptam, et propius lustratam deprehendit esse virgam. Ita ad unguem Pharisaeus in hodierno evangelio aspexit primo, Magdalenam quasi a se projectam et procul sitam juxta priorem ejus vitam,

et deprehendit eam esse colubrum et peccatricem, unde eam horrere et fugere videtur, dum ait: *Hic si esset propheta, sciret utique quae et qualis est haec mulier, quia peccatrix est.* Verum jubet Dominus Pharisaeum apprehendere caudam hujus colubri cumque in manus sumere et propius aspicere, dum monet, ut non tam ad praeteritam vitam dissolutionem, quam ad ejus finem, et praesentem attendat poenitentiam: consideret ejus lacrymas, humilitatem, obsequia hic et nunc ab ea praestita: deprehensum, mulierem hanc non jam esse colubrum abominandum, sed virgam amplectendam et asservendam ad magna et mira patranda. Quod utique ad extremum deprehendit Pharisaeus, quando pensiculus consideravit Magdalenae poenitentiam vitaeque mutationem.

Error hic Pharisaei communis est inter homines; nihil audies frequentius, quam despici peccatores et colubros reputari, per domos et urbem traduci, carnifici devoveri, patibulo et inferno dignos judicari; quia nimirum de procul solum aspiciuntur. In manus assumendi, et proprius considerandi sunt: quo facto deprehendemus eos non tam colubros esse, noxios et abominabiles, quam virgas ad multa bona efficienda utiles. Itaque, auditores, apprehendamur mente, et cogitatione nostra peccatores videamus, an sint colubri spernendi et fugiendi.

I. Spernendus non est peccator; quia forte quem talem existimamus, non est amplius peccator: *Homo enim vidit ea, quae parent;* Dominus autem intuetur cor, ait ipsemet I. Reg. XVI. Et si suum unusquisque cor non satis perspectum habet, quomodo perspiciet alienum? Certe Pharisaeus in Magdalena deceptus est, tametsi alioquin publica infamia insignis erat. Dicebat ille: *Quia peccatrix est.* Quae tamen tunc jam poenitens et bona erat. Unde evangelista aliter de ea locutus est: *Ecce mulier, inquit, quae erat in civitate peccatrix.* Erat, inquit. Hunc in modum S. Joannes eleemosynarius episcopus ad quosdam suos, qui raptorem virginis morte dignum judicabant: *Et qui scitis, inquit, si ille jam peccare desistit, cum vos fortasse non cessetis?* apud Marulum, lib. V. cap. XII. Non abs causa praecipit Deus, Levit. XIII. ne sacerdos illico in leproso ferret judicium lepra, eosque a mundorum caetu separaret; sed jussit prius eum, qui leprosus putabatur, includi septem diebus: et si postmodum lepra se necdum manifeste proderet, denuo includi totidem diebus, ac tum de eo judicium ferri; ne videlicet alicui injuria fieret, si qui mundus esset, ad leproso damnaretur. Non minor adhibenda cura est in lepra animae discernenda. Hoc in primis acerdotum est, non aliorum. Deinde, qui in ani-

ma leprosus reputatur, forsitan per poenitentiam a Deo jam mundatus est. Suspendendum ergo die illo judicium, nec abominandus est, dum ejus lepra dubia vel occulta est. At quis ille divinator est, qui edicere novit, quae in alterius corde sunt? Diogenes, apud Laert. lib. VI. cuidam de rebus caelestibus multa jactanter enarranti, dixit: *Quae nuper de caelo venisti?* Idem dicere possem ei, qui sententiam fert et pronuntiat in eos, quorum actus, et affectus praesertim, minimo intuetur. Quam nuper tu de illorum corde venisti? Num lepram illam peccati, quae in corde latet, oculis usurpasti? Et quid si ea tunc a Deo jam sublata et curata esset?

II. Quia qui hodie peccator est, forte cras non erit amplius, brevi enim converti potest: cum tu contra cadere et perire queas. Scimus ex parabola Domini, filium, qui jussus a patre pergere in vineam ad operandum, primo renuit, postea vero dicti poenitens ivit, praetatum esse alteri filio, qui spondit ire, et non ivit, Matth. XXI. Prior ille filius poenitens typus est, qui heri Deo restitit, hodie immutatus obsecundavit: et qui hodie in peccatis jacet, cras forsitan se eriget et in gratia stabit: *Potens est enim Deus statuere illum,* inquit apostolus ad Roman. XIV. Quid baculo stupidus et ad sapientiam capessendam ineptus? Audimus enim Oseam dicentem: *Populus meus in ligno suo interrogavit et baculus ejus annuntiavit ei, q. & stultissime egit idola interrogando ligna; quid enim baculus aut lignum respondere vel docere queat?* Et tamen scimus baculum Moysi Dei virtute in serpentem, qui prudentiae typus est, conversum esse, Exodi IV. qua re indicatum est, posse Dei gratia stupidissimum et pertinacissimum etiam peccatorem ita immutari, ut sanam mentem induat et respiscat. Inter plurimam hujus rei exempla luculentum illud est Natalii olim confessoris; postea pecunia corruptione factus Theodotianorum haereticorum episcopus, tandem gravissimis flagris a s. angelis nocte quadam sibi inflictis, sui compos redditus, cilicio indutus ac cineribus aspersis, ad Zephyrinum papae pedes se abjiciens, patrat sceleris exomologesin fecit, ut scribit Eusebius, V. histor. XXVII. apud Baron. anno 207. Plurium patrum sententia est, et si D. Hieronymo, in Matth. XXVII. credimus, probabilior (Ambrosii, Hieronymi, Euthymii, Theophylacti) utrumque latronem primo Christum in cruce insultasse (ut videntur indicare Matthaeus, Marcus) aliorum tamen repente conversum resipuisse, et Christum Dei fidelium agnovisse atque invocasse. Ex quo patet neminem peccatorum, quantumvis desperatorum et exitia propinquorum contemptui habendum, uti docet



Climacus, gradu X. scalæ dicens: *Etiam si in ipso animæ corpore digressu quempiam peccare videris, ne tunc quidem illum damnare audeas: incertum est enim hominibus iudicium Dei.*

III. Quia forsitan peccator in uno tantum delinquit, in aliis vero culpa vacat, in quibus tu reus es. Nemo ita æger est ut non in aliqua corporis parte sanus sit; et vicissim vix reperias aliquem ita usquequaque vegetum, ut nihil prorsus debilitatis aut defectus in aliquo membro habeat. Idem videre est in hominum moribus. Ruben libidine peior erat fratribus, quia incestavit Balam uxorem patris sui: dilectione tamen et misericordia melior, quia nitebatur Josephum liberare de manu fratrum ac servare, quo nomine laudatur a Scriptura, Genesis XXXVII. Nemo exscindit arborem, quæ unum vel alterum ramum aridum habet, imo quæ unicum tandem viridem et frugiferum habet. Ideo vetuit Deus arborem excindi, de quibus homo vescipotest, Deut. XX. Atqui tales sunt peccatores, qui licet non ex toto, ex parte tamen utiles et frugiferi sunt, si non sibi saltem aliis. Quod symbolice ibi præcepit Deus, idem paulo post expresse mandavit, cum Deut. XXIII. dixit: *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est, nec Ægyptium, quia advena fuisti in terra ejus.* Idumæi prognati sunt ex Esau qui erat frater Jacob, a quo Israelitæ; Ægyptus vero erat asylum et quasi orphanotrophium Hebræorum, qui quoties domi afflictabantur bello aut fame, refugium in Ægypto quærebant. Ergo Ægyptii cæterum mali et idololatæ, hospites tamen et protectores Hebræorum erant: Idumæi vero fratres eorum. Idem de peccatoribus unusquisque nostrum cogitet.

Fratres nostri sunt, eadem, qua nos, carnis fragilitate præditi: quomodo illi ceciderunt, ita cadere et nos possumus. Deinde, in aliquo boni, utiles et laude digni sunt, etc.

IV. Quia forsitan peccator, quem contemnis, graviores tentationes et peccandi occasiones, vel minora gratiæ auxilia ad se servandum habuit. Scimus quod evenit Uriæ, strenue alioquin militi, quando jussu regis Davidis positus est ex adverso belli, ubi fortissimum erat prælium, et a suis derelictus: tametsi enim is, ut scribit Josephus, lib. VII. antiqu. cap. VII. strenue pugnavit nec paucos hostes interemit, tandem tamen circumventus ab hostium multitudine, a sociis vero desertus interemptus est, II. Reg. XI. Idem plerumque (quod sana mente credere possumus) contigit iis, qui in gravia scelera prolapsi sunt. Constituti enim fuere in gravibus tentationibus, ubi fortissimum erat prælium et cadere facillimum: derelicti fuere, a speciali et forti gratiæ auxilio:

hostibus fortissimis objecti fuere, et quid mirum si vulnerati, si læsi et collapsi sunt? Qui si tot tantaque auxilia gratiæ habuissent, quanta tu vel alius nunquam lapsus, forsitan et ipsi starent. Hanc ob causam Sanctus Franciscus vocare se consueverat peccatorum omnium maximum, etiam furum et latronum; cumque ob id argueretur a suorum aliquo, quasi id minime verum esset, respondit, tantam sibi a Deo collatam esse gratiam, ut, si ea furibus et latronibus data esset, meliores Francisco forent. Equidem hoc ipse pro sua humilitate, quod nostrum quilibet multo verius dicere potest, et exclamare cum Jeremia, Thren. III. *Misericordie Domini, quia non sumus consumpti.* Commiseratione ergo potius quam insultatione vel contemptu prosequendus est peccator, non secus ac jumentum, quod gravi onere pressum mediis in tenebris ab irato agasone clamoribus et verberibus impellitur ad præcipitium. Onerant enim gravantque peccatorem habitus vitiorum contractus ipsaque concupiscentia: ad hæc in tenebris ambulat obscurato intellectu per affectus inordinatos, amoris, timoris, iræ, vindictæ, per ebrietatem aliasque dispositiones pravas: denique, impellitur quodammodo in peccatum a dæmone, mundo, carne, suggestionibus, consiliis, pravis illecebris, minis, plagis, etc. Quis hujusmodi jumento in præcepto acto non commiseretur?

V. Quia forsitan peccator fortior et melior resurget quam fuerit ante lapsum: et ita errorem corriget pœnitentiæ et pietatis operibus, ut multos superaturus sit, qui nunquam ceciderunt. Eo enim tendit hodierni evangelii parabola, quæ ostendit peccata, si peccatori condonentur, occasionem et incitamentum esse amoris in Deum: ut quo plura condonantur eo magis excitare hominem ad diligendum Deum, eique strenue serviendum, a quo tantum accepit beneficium. Patet id imprimis in hac ipsa, quam parabola gerit, peccatrice, quæ cum ream et quidem gravem se agnosceret, longe plura et majora charitatis, et humilitatis, et pietatis obsequia Christo exhibuit, quam Pharisæus. Hic enim, quia justum se reputabat, multum sibi facturus videbatur, si Christum invitaret ad mensam; at peccatrix illa tam exiguo obsequio minime contenta fuit: lacrymas, capillos, unguentum, pedum oscula paravit, et pro convivio ei apposuit, quia debtricem se agnovit. Multum itaque debuit, sed cum fenore solvit: Pharisæus parum debuit, sed solvit absque fenore. Id ipsum in Petro et Paulo, aliisque lapsis patet, qui post agnitum peccatum fortiores surrexere, et veluti crus fractum, adhibita medela fortius coaluere. Hujusmodi crus factum

erat Onesimus ille, Phryx, Philemonis divitis Colossensium civis mancipium, pro cuius reconciliatione scribit S. Paulus epistolam ad Philemonem. Fugerat Onesimus, compilatis quibusdam heri sui rebus (ut ex epist. colligit S. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus,) Romam, ibique in Paulum incidit, qui eum ad Christum convertit, instituit et baptizavit, adeoque ex fure et inutili mancipio tam bonum et utilem fecit, ut cum in suis vinculis habuerit ministrum tam fidelem ac sedulum, ut a Philemone cui velut servum remiserat, sibi remitti eum optaret. Hic ergo facti pœnitens, in gratiam cum hero suo Philemone rediit, factusque est vir et doctor egregius, atque post Timotheum secundus Ephesi episcopus creatus, valde commendatus ac laudatus a S. Ignatio in ep. ad Ephesios, denique Romæ sub Trajano martyrio laureatus.

Unde huic vili mancipio tanta provenit sanctitas et gloria? Profecto ex ejus furto primum velut occasione perfectæ conversionis. Nam, ut in eam Pauli epistolam scribit Hieron. « Si Dominus non fugisset, nunquam venisset Romam, ubi erat Paulus vincus in carcere: si Paulum in vinculis non vidisset, non recepisset fidem in Christum: si Christi non habuisset fidem, nunquam Pauli effectus filius in opus evangelii mitteretur. Ex quo paulatim et per gradus suos reciprocante sententia, ideo minister evangelii est factus Onesimus, quia fugit a domino. » Sic Hieron.

Hunc ergo S. Paulus, velut viscera sua Philemoni commendat; et rogat eum suscipi, non jam ut furem, sed ut fratrem ab hero, a quo profugerat. Quis ergo peccatorem in posterum condemnat? Sed addamus mancipio ducem, itidem peccatorem. Anno millesimo quadagesimo septimo, Godefredus Lotharingiæ dux ob sublatum sibi ab imperatore ducatum desperatione rebellans, Viriandum incendium excitavit. In eo cum Dei Genitricis templum ibidem exustum fuisset, spontaneæ pœnitentiæ ipse posteris dignum reliquit exemplum: dum (quod ait Lambertus, apud Baronium anno dicto) publice se verberari fecit, et capillos suos, ut tonderentur, multa pecunia redemit sumptusque ad reedificandam ecclesiam dedit, et in opere cæmentario per seipsum plerumque vilis mancipii ministerio functus deservivit. Quo facto longe majorem etiam in terrenis spatiis retributionem est consecutus, dum paulo post ex conjugio Beatricis Tusciæ et Liguriæ marchionissæ factus est dominus majoris partis Italiæ. Ex occasione igitur magni peccati factus est magnus pœnitens, et inde magnus dux.

VI. Quia peccator se humilians, et peccata sua

agnoscens melior est quam justus in justitia sua confidens, vel de meritis suis præsumens. Eo enim pertinet, quod Ecclesiastes, cap. IX. dixit: *Melior est canis vivus leone mortuo*, hoc est, peccator humilis, qui se canem mortuum in oculis suis reputat, uti David, interim Deo vivit: quam justus superbus, qui sibi leo vivus videtur, apud Deum tamen mortuus est, ut exponit B. Drogo episcopus Hostiensis, tom. II. bibliothecæ ss. pp. serm. I. Leo sibi videbatur Pharisæus: canem se reputabat Magdalena, ideo instar catelli arrepsit Domini pedibus, ut eos ore lingeret sibi quem demulceret. At ille mortuus erat, quia se ipsum non agnovit: vivebat vero ista, quia se agnovit. Canis mortuus erat Saulus, cum adhuc persecutor: sed ubi a Deo prostratus, se humiliare Deumque orare cepit, vivere Deo cepit: unde Dominus ad Ananiam inquit: *Ecce enim erat*, Actor. IX. quasi diceret: Non est, quod jam fugias illum aut spernas: jam enim catelli instar se prosternit, jam supplices tendit manus, jam veniam petit. Canes pessimi erant percussores S. Thomæ Cantuariensis episcopi, imo canes peiores, utpote a quibus canes quantumlibet famelici porrectum accipere panem, velut anathematis, quo innodati erant, veneno intinctum, accipere renuebant, ut scribit Consentinus episcopus, Rogerius Anglus, alique apud Baronium, anno millesimo centesimo septuagesimo secundo.

Hi tamen cum se Deo, hominibus et brutis invisos cernerent, ad pedes Romani pontificis Alexandri III. supplices acciderunt, et venia impetrata, pœnitentiam sibi injunctam, qua jubebatur adire terram sanctam, persolverunt (uno eoque primario excepto, qui in itinere Consentiæ morbo correptus diro, putrescentibus carnibus et a nervis atque ossibus diffluentibus, identidem, quem occiderat martyrem, invocans misere periiit) postque in monte nigro, tamquam carcere pœnitentiæ clausi jussu pontificis, paulo post diem clauserunt extremum pœnitentes, et propterea honeste quoque sepulti sunt, nempe ante hostium templi; ubi (inquit Rogerius) ejusmodi apposita fuit inscriptio: *Hic jacent miseri, qui martyrizaverunt B. Thomam archiepiscopum Cantuariensem.*

Tantos ergo peccatores, postquam sese humiliarunt, non abominata est Ecclesia, sed in gratiam recepit et honeste sepulturæ tradidit: non abominatus est ipse Deus, uti fas est credere: quid igitur nos homunciones? Num adhuc spernemus et a nobis repellamus illos peccatores, qui culpas suas agnoscunt, qui coram Deo se abjiciunt et veniam precantur?

Quid si canes isti vivi sint, nos vero leones mortui simus? Mortui leones corvis objiciuntur et ab



hominum conspectu longe amovetur: vivi autem catelli edere solent de micis, quæ cadunt de mensa domini: ita superciliosi Pharisæi dæmonum cibus erunt, pœnitentes autem peccatores edent de micis illis, quæ cadunt de mensa Dei in cælis; quo nos perducat Deus.

### CONCIO VII.

DOCUMENTA ET MYSTERIA.

I. Ex Christo. — II. Ex Magdalena. — III. Ex Pharisæo.

THEMA.

Vides hanc mulierem? Luc. VII.

Tres hominum status sunt, innocentium, pœnitentium, peccatorum; iique reperti fuere in primis tribus totius humani generis viris, Adam, Cain, Abel; Adam pœnitentium, Cain peccatorum, Abel innocentium aciem duxit. Idem triplex status reperitur in personis tribus hodierni evangelii, Christo, Magdalena, Pharisæo: Christus innocentie speculum, Magdalena pœnitentium, Pharisæus peccatorum est. Ad hos igitur, auditores, convertamus oculos, et in hisce speculis contemplerur nos.

I. Videmus Christum, et quidem ad convivium esse, tum ut in eo conversioni mulieris occasio daret; tum ne ansam præberet hominibus dicendi quod cum Publicanis et peccatoribus citam sumeret, Pharisæos autem contemneret: maxime quia dixerunt eum esse voratorem et putatorem, amicum Publicanorum.

Sciendum tamen Dominum non nisi rogatum, esse ad convivium, et quidem sæpius et instantius rogatum (ut indicat verbum *rogabat*) ut doceret, ad convivia divitum non facile itandum: quidem in iis ordinarie plus virtutis perditur, quam acquiritur. Idcirco Christus, ubi se parum profuturum sciebat, non ivit ad convivia. Et profuturum etiam Sanctus Ambrosius et hujus exemplum Sanctus Augustinus decretum sibi habebant, convivia non adire. Mirum ergo est si quis lucrari speret, ubi tanti sancti perdere timuerunt.

Secundo, videmus eundem Pharisæo invitatori minime ad placitum esse locutum; sed quæ ad instructionem et correctionem ejus pertinebant, et reprehendisse ejus vitia, in propria licet mensa et domo: quare docet principes, rectores, magistratus, confessarios et concionatores personam non accipere; sed quorumcumque vitia redarguerent, juxta legem Deut. I. *Neque accipietis personam.* Tyrurgus Lacedæmoniorum legislator instituit

### CONCIO VIII.

syssitia, id est, convivia publica in quibus inter omnes, potus ac cibi æqua erat portio, Plut. in Lacon. Hujusmodi syssitia debent esse conciones et judicia publica, in quibus æqua justitiæ portio, prout quisque meretur omnibus, detur: quemadmodum in hodierno convivio suam portionem Pharisæo, suam Madgalenæ prout meruerant, Christus apposuit. Vultin audire exemplum rarum æquissimi judicis? Credendum audiamus apud Baronium. Anno Christi quingentesimo sexagesimo octavo Justino imperante, cum subditi a potentibus opprimerentur, suisque facultatibus spoliarentur, ita ut parceretur nemini, nec imperator monitis et rescriptis proficeret et querelis undique premeretur; convocatis aliquando in curiam potentibus, orationem ad eos habuit quæ eos ad restitutionem hortabatur, cujus ea conclusio fuit: Quod si præceptis suis parere nollent, sed suis in rapiendo obsequi cupiditatibus pertingerent, alium sibi, suo arbitrio deligerent imperatorem: *Ego enim, inquit, contumacibus, injustis, et aliena violantibus imperare nolo.*

Ibi quidam procerum libertate dicendi sumpta, ita imperatorem alloquitur: « Constitue me coram omnibus, præfectum urbis, mandaque ne cujusquam rationem potioris justitiæ habeam, utque mihi te de rebus necessariis monituro semper aditus pateat: recipio in me, effecturum intra mensem ne ulla sit vel illata in urbe vel accepta injuria. Quod si proferat quis culpam, quam mihi indicatam non punierim, capite me plecti jubeto. »

Pergratum id imperatori fuit, eumque præfectum urbis constituit. Is ergo cum mane pro tribunali sederet, et quædam vidua quæretur se a magistro quodam, omnibus suis facultatibus spoliata, mittit eam cum sigillo ad magistrum illum, jubetque eum ad dicendam causam venire. Cum eandem viduam magister verberibus male multatam remisisset, mittit præfectus ad eum de cursoribus unum; sed hunc quoque verbis delusum dimittit. Interim dum præfectus in circo sedet magistrumque operitur: hic ab imperatore ad convivium vocatur, eodem se præfectus quoque confert, atque imperatori: « Si in eo imperator persistis, quid mihi mandasti, ne cui eorum, qui pauperes concutiunt, parcam; scito me promissis meis satisfacturum: sin eos tu, pœnitentia ductus, amicos potius habes, et conviviis adhibes; scias me quoque detrectare ea quæ in me recepi. » Imperatore responso, ut seipsum potius solio detraheret, si formam talis criminis sciret, præfectus illico magistrum vi abripuit, et in curiam, quæ Arca dicitur, cum eo abiit. Ibi diligenter utriusque sermone considerato, cum haud

levibus injuriis ab eo affectam mulierem comperisset, verberibus impositis, homini caput rasis, asinoque nudum impositum, per mediam urbem velut in triumpho duxit, et omnes ejus opes mulieri adduxit. Hoc exemplum reliquos ita in viam redegit, ut ubique summa in pace viveretur, atque intra trigesimum diem, neque auctor ullus esset, neque reus injuriarum. Tunc præfectus imperatori significat se promissa implevisse; et imperator in publicum progressus, cum nulla querela audiretur, reversus patricia dignitate eum ornat, et per omnem vitam præfectum urbis esse jubet. Hæc Cedrenus.

Tertio, videmus Christum calamum quassatum non confringere, nec linum fumigans extinguere juxta prædictionem Isaia, cap. XLIII. de eo factam; sed recipere potius in gratiam et consolari pœnitentem peccatricem. Vere linum fumigans erat Magdalena, quæ tetrum impudicitie fetorem de se spirabat, ita ut Pharisæus nares coram illa quasi occluderet, dum dixit: *Quæ et qualis est ista mulier? Quia peccatrix est.* Calamus quassatus erat, sen, ut Hieronymus vertit *tibia quassata*, quæ niulcum edidit sonum, dum deflevit sua peccata.

Hanc ergo non abjecit, non confregit, non extinxit Christus, sed recepit, sanavit, erexit. Moneatur ergo prælati et pastores animarum, ut ne sint duri et difficiles ad recipiendos pœnitentes: sed potius proni et liberales. Seneca, lib. I. de clementia, ait: « In apibus videmus regem sine aculeo esse. Voluit enim illum natura nec sævum esse, nec ultionem magno constituturam petere, telumque detraxit et iram ejus inermem reliquit. Exemplum hoc magnis regibus ingens est. » Idem observant Romani pontifices, dum soli ipsi inter episcopos, baculum non gerunt. Quod et veteris legis pontificibus commendatum, dum nomina duodecim tribuum Israel partim in pectore (inserta rationali, per amorem: partim in humeris (in-sculpta duobus lapidibus onychinis) per auxilium gerébant, ex Dei præcepto, Exod. XXVIII. Hoc quia non observarat Acacius episcopus in Conc. Nicæno, qui durior se præbebat in recipiendis ad pœnitentiam iis, qui a fide aberraverant, audivit a Constantino imper. *O Acati, scalam a terra in cælum constitue, solusque per illam in cælum conscende.* Hist. eccles. parte II. cap. IV. et S. Dionysius Areopagita graviter reprehendit Demophilum, quod pœnitentem ad ejus pedes accedentem repulerit, epist. VIII. ad Demoph.

II. Videmus peccatricem scilicet Magdalenam, (hæc enim Joan. XI. dicitur *soror Lazari* et extersisse capillis pedes Domini) et primo, quidem pœnitentem miro et inaudito ritu. Accedit enim primo et retro Christum, stat verecunda non

audiens in faciem Christi prodire, ut quem turpi scelere graviter offendisset.

Secundo, ad pedes ejus, ut supplicantis affectum exprimat; et fateatur luto turpitudinis sese inquinatam, quemadmodum solent pedes pulvere et luto sordere.

Tertio, affert alabastrum unguenti pretiosi, denotans cor ejus humilitate, contritione, fide spe et charitate plenum.

Quarto, incipit lacrymis rigare pedes Domini, quo nimirum beata illa terra lacrymarum imbre rigata fructum remissionis afferret; docens gratiam semel perditam, non nisi per lacrymas recuperari posse, quod etiam indicavit Deus, dum primam legis tabulam ipse prædidit et Moysi tradidit, ubi vero Moyses eam confregit, ipsemet sibi aliam comparare et præcidere (Hebr. *dolare*) jussus est, Exod. XXXIV. quia scilicet prima gratia per baptismum gratis obtinetur. Sed amissa non nisi simul per lacrymas et dolabrum pœnitentiæ reparatur. Deinde, ut hoc alabro lavacro abstergeret sordes scelerum suorum.

Quinto, capillis suis eisdem tergere, tum quia istis, quemadmodum et oculis ac unguento, sæpius Deum offenderet; tum ut doceret pauperes quia per pedes Domini significantur superfluis nostris fovendos esse.

Sexto, osculatur pedes Domini ob devotionem et amorem erga Christum. « Pedes isti sunt misericordia et judicium (juxta Psal. Misericordiam et judicium cantabo tibi Domine), quorum alterum sine altero osculari vel temeraria securitas est, vel desperatio fugienda, » inquit P. Damiani in serm. de Magdalena. Denique, eos ungit, volens hac unctione Christum delinire: et plusquam humano more pedes, non caput, cui appropinquare non audebat, unguendo honorare. Denique, bono odore publicæ et exactæ pœnitentiæ fetorem prioris vite abolere.

Porro his ceremoniis voluit Magdalena punire in se peccata sua, ut fierent instrumenta pœnitentiæ, quæ prius erant instrumenta peccati. Prædictum ab Isaia est, cap. II. *Conflabunt gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces.* Gladii et arma iniquitatis sunt membra hominis flagitiosi, ad Rom. VI. His aliquando Magdalena Deum impugnaverit, nunc vero quia manus dat, arma illa abjecit et convertit in arma virtutis, et quasi vomeres ac falces, ad fructum gratiæ comparandum. Audiamus S. Greg. hom. XXXIII. in evangelia: « Liqueat fratres, inquit, quod illicitis actibus prius mulier intenta sibi unguentum pro odore suæ carnis adhibuit. Quod ergo turpiter exhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat, sed hoc jam per pœnitentiam



conferens flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed jam capillis lacrymas tergebatur. Ore superba dixerat, sed pedes Domini osculans hoc in redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot in se invenit holocausta. » Hæc Gregorius.

Secundo, videmus eandem a culpis absolutam et Christo reconciliatam, indeque discimus nemini de venia desperandum quantumcumque peccator sit. Perierat jam quasi Magdalena, et velut ovicula a leone, dæmone comprehensa abripiebatur et laniabatur, verum David noster Christus eam iterum eruit. Torris erat Magdalena, jam in igne ardens et ambustus; verum a Christo iterum ereptus et a nigrore peccatis purgatus, juxta id Zachar. III. *Numquid non iste torris est erutus de igne?* De igne inquam non luxuriæ tantum, in quo jacebat; sed etiam gehennæ, ad quem sensim decidebat. Hujus ergo pœnitentis exemplum jure merito erexit alteram quamdam meretricem, itidem Mariam nomine, apud Eviratum, in prato spirit. cap. XXXI. quæ tres comitata adolescentes, cum aliquando in hospicio offendisset duos anachoretas, qui in itinere ibidem, diverterant, seorsum in angulis evangelium legentes, uni mox assedit lectionem auditura. Verum ab illo repulsa dixit: « Ne quæso, pater, abomineris me; et si enim peccatrix sum, non repulit tamen a se peccatricem Dominus et Salvator omnium Christus. » Cui ille: « Verum quidem, hoc, sed peccatrix illa respuit et meretrix esse desiit. » Tum illa: « Spero in Dei Filium ac propono firmiter me quoque turpi quæstui deinceps renuntiaturam. » Dictum, factum; relictis enim adolescentibus, adhæsit senibus, a quibus monasterio prope Ægas civitatem inclusa est; quam etiam scribit auctor se vidisse anum, et hæc ab illa accepisse.

Tertio, videmus eam a Christo insuper laudatam et prælatam Pharisæo. Nec mirum; nam post tam insignem pœnitentiam facta est illustrior, quam si conservasset suam primam innocentiam: quod vel inde colligi potest, quod sorori Marthæ, quæ in sancto virginitatis proposito perstitit, præferatur ab Ecclesia quæ festum Magdalene celebrius instituit quam Marthæ. Hoc ipsum in multis aliis cernere est, qui post lapsum fortiores surrexerunt per pœnitentiam, quam si nunquam cecidissent. Quando enim Fabiola matrona nobilis Romana, eo sanctitatis pervenisset, ut fieret: *Laus Christianorum, miraculum gentilium, luctus pauperum, solatium monachorum;* quibus titulis prædicatur a Sancto Hieronymo, in ejus epitaphio, nisi pœnitentiam egisset? Illa enim quod marito adultero repudiato, alteri nupsisset, putans id sibi licere, eo mortuo culpam

agnovit, et cilicio induta, sparsis crinibus ad basilicam Lateranensem publicam egit pœnitentiam, deinde omnibus suis in pauperes erogatis nosocomium instituit, in quo agrorum servitili se mancipavit, sordes tersit, saniem abstersit, sorbitiunculas præbuit, etc. ut idem scribit S. Hieronymus.

III. Videmus Pharisæorum in tribus delinquentem. Primo enim, attendit tantum ad præterita Magdalene peccata, non ad præsentem ejus pœnitentiam: quod minus est, videt, quod cominus, non videt: quod auribus tantum ex vulgi fama percepit, considerat: quod oculis suis cernit, non considerat; tametsi visus auditu multo certior est, imitantur hunc, qui quem semel in aliquo crimine deprehenderunt, semper de eo suspectum habent; quasi non essent duodecim horæ diei in quarum singulis peccator se a malo avertere et convertere ad bonum posset. Non ita nobiscum agit Deus, qui non tam perfecta nostra intuetur scelera, quam instantem pœnitentiam. Quam graviter in eum deliquit olim Achab spoliando vinea et vita innocentem Naboth? Unde ei dictum per Eliam est: *In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* Et tamen cum ad hanc comminationem, pœnitentis habitum induisset Achab, ait Dominus ad Eliam: *Nonne vidisti humilitatem Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus,* III. Reg. XXI. Ecce pœnitentem et humiliatum Achab, qualis tunc erat videt Deus, non videt raptorem et homicidam qualis ante fuit.

Secundo, male infert Christum non esse prophetam, quod non nosset peccatricem. Neque enim prophetarum est omnia prorsus, etiam occulta scire. Scimus Samuelem nescivisse, quis e filiis Isai eligendum esset in regem, I. Reg. XVII. scimus Elisæum ignorasse quid contigerit Sunitidi ad se accedenti, IV. Reg. IV. Poterat ergo Christus esse propheta, etiamsi vitam peccatricis perspectam non haberet. Similes Pharisæo sunt, qui ex uno vel altero defectu proximos condemnant, quasi in omnibus reprobi essent et omnino nihil valerent; quod imprimis patres ac matres familias communiter servis et ancillis suis faciunt. Verum si hæc argumentatio valeret, pauci invenirentur boni; quis enim sive nævo est?

Tertio, temere judicat Christum non novisse illam mulierem; forsitan ex eo quod se ab illa tangi permetteret. At hoc nequaquam sufficiens argumentum erat; neque enim sanctus Dominus contaminari poterat tactu rei immundæ; neque interdictum tangendi immundos, extendebat se ad sordes animi. Facile igitur errant, qui privato

sensu proximum dijudicant, ut qui varios modos habeat sese defendendi vel excusandi. Convinctus erroris est a Domino Pharisæus, et in ejus sententiam concedere coactus: ita fit communiter, ut si proximum quem sinistre judicavimus, au-

diamus aliter sentire et ipsi consentire incipiamus. Superest nunc, ut Pharisæum delinquentem vitemus, et si Christum innocentem assequi non possumus, pœnitentem saltem Magdalenam imitari non dubitemus.

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

#### MAGDALENA SIMILIS VITI.

I. Quia foris apparuit vilis, intus erat nobilis. — II. Quia pergratum virtutum odorem dedit. — III. Quia celerrime profecit. — IV. Quia voluptatum instrumenta vertit in virtutum organa. — V. Quia Christo fortiter adhæsit. — VI. Quia per contemplationem in cœlum conscendit.

#### THEMA.

*Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.*  
Eccli. XIV.

Rem missam recenset doctor celebris, Silvester Prieras ordinis S. Dominici de S. Maria Magdalena, in aurea rosa, apud Sur. 22. julii. Carolus rex Siciliae secundus et comes provincie circa annum Domini septemcentum sexdecim navali prælio cum Aragonum rege congressurus, victus et Barcinone dire carceri mancipatus fuit. Ibi a M. Guilhelmo de Tohnanis ord. Prædic. confessario suo monitus est, ut quia humana præsidia nulla expectaret, commendaret se B. Mariæ Magdalene, ut quæ in terris sibi subjectis vixerit et obierit. Placuit regi consilium, et executus est. Ecce igitur in vigilia festivitatis Magdalene, apparuit ei matrona insignis, quæ regem compellans, sequi se jubet, eductumque e custodia cum familia sua, statuit prope Narbonam Gallie, distantem Barcinone leucis fere triginta, adeoque intra terminos principatus ejus, asserens se quam invocarat, Magdalenam esse. Ille gaudio plenus et perfusus lacrymis, quid ei gratiarum rependere possit, interrogat. Cui Magdalena, corpus suum ob instans bellum, alio translatum jam ignorari: eat igitur et requirat reliquias suas, inventurum vitem, quæ ex ore capitis ejus exerevit, additis aliis indicis, e quibus rex rem, ut erat, deprehendit et jussa omnia peregit. Quid putamus, auditores? Num absque Dei consilio e capite Magdalene vitem prodiisse? Ego sane nequiquam, sed voluisse eum nobis ostendere fuisse Magdalenam quamdam vitem, qualem describit Ecclesiasticus, c. XXIV. *Ego*

*quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* Ea vere an conveniat Magdalene, nunc videamus.

I. Lignum vitis, si quod ullum, admodum vile et deforme est aspectu, curvum, nodosum, lacera cortice opertum, ut plane sit contemptui; intus tamen pretiosum humorem habet, qui se suo tempore prodit. Ecce tibi Magdalenam, viti in hoc simillimam. Secundum aspectum enim tam vilis et abjecta erat, ut Pharisæus eam non nisi *peccatricem* appellet, et miretur quod eam Christus ad se venire permittat. Ad hæc, habitus ejus erat squalidus, sparsi capilli, oculi lacrymantem et dejecti, ipsa retro se abscondens. Verum jam tunc Christus in ejus animo pretiosum pœnitentiae et amoris divini humorem vidit, quem alii non viderunt. Hoc ipso igitur suo squalore Christi gratiam invenit, ejusque oculis placuit. Scimus Deum Exodi XXXIII. per Hebræorum idololatriam irritatum, tandem eorum lacrymis rursus placari ceptum, imperasse eis ut pretiosum vestitum exuerent: *Ut sciam, quid faciam tibi,* inquit, quasi per hoc exploraturus, an componere se ad pœnitentiam vellent. Fecerunt illi ut imperatum, et Deum sibi placarunt. Egregie in eum locum scribit Oleaster: « Non libenter videt Dominus peccatorem festivis vestimentis indutum; sed quem admodum dedecent justum vestimenta lugubria, ita peccatorem indumenta jucunditatis. Considerate quæso peccatricem illam, cum sacra meminit historia, qualiter ad Salvatorem non ornata, sed solutis crinibus venerit verecunda, ut non ausa fuerit faciem Christo ostendere, sed eam capillis suis operuerit, ut retro steterit. Tu ergo, qui a Domino Deo tuo veniam requiris, ornamenta depone. » Sic ille. Quinetiam seipsam derisui exposuit Magdalena, dum in consessu viro-rum ingressa, se in terram abjecit et lacrymarum cepit, volens hac sua confusione peccata sua punire, ut gratiam inveniret. Omnis ergo ejus gloria fuit ab intus, quo magis squalor foris.

II. Vitis dum floret, pergratum fundit odorem. Sed quis odor in Magdalena, dices, quæ audit et scitur peccatrix? Imo vero dum sub convivio habitu pœnitentis tam luculento ingreditur, hoc